IN ODEM SECVNDAM LIBRI QVARTI CARMINVM.

Q. HORATII FLACCI

Commentatio

HVGOLINI MARTELLII

Epiſcopi Glandaten.

AD SERENISS. FRANCISCVM MEDIC. MAG. DVCEM ETRVR.

FLORENTIAE,

Ex Officina Iunctarum. 1579.

Cum Licentia, & Priuilegio.

FRANCISCO MEDICI
MAGNO DVCI ETRVRIÆ,
HVGOLINVS MARTELLIVS EPISCOPVS GLANDATEN. SAL.

REGVM nostrum est, & christianum populum in officio pietatis continere domi, & nominis christiani hostes infestos vlcisci foris. Hæc tu Francisce Dux magne, dum res etruscas ornas moribus emendas legibus, dum Turcarũ immanitatẽ feritatemq; triremibus tuis attèrere non formidas, sane præstas optime ac fortissime. Antistitum christianorũ est, & proprium gregem in catholicis pascuis custodire, & syluestres capreas ad ouile Christi Domini nostri allicere et cicurare. Illud voce dudum pro virili faciebamus, dum ouiculas nostras hæreticorum voces nõ auscultare condocebamus; istud calamo nũc adnitimur, dum ethnicum (poetàm ne dicam vtiliorẽ an philosophũ dulciorẽ?) Horatium Flaccũ, ad frugẽ christianis hominibus cõgruentẽ adducimus. Honesti ac pij nostri conatus modo specimen damus, et tuo nomini dicamus. Rege dux bone, Regna DVX MAGNE.

Q. HORATII FLACCI ODE SECVNDA LIBRI QVARTI CARMINVM.

AD ANTONIVM IVLVM.

PINDARVM quisquis studet æmulari
Iule, Ceratis ope Dædalèa
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina ponto.
Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super vatas aluêre ripas,
Feruet, immensusq; ruit profundo
Pindarus ore,
Laurea donandus Apollinari,
Seu per audaces noua dithyrambos
Verba deuoluit, numerisq; fertur
Lège solutis:
Seu Deos, regesq; canit, Deorum
Sanguinem; per quos cecidère iusta
Morte Centauri; cecidit tremenda
Flamma Chimera:
Siue, quos Elea domum reducit
Palma cœlesteis; pugilemue equumue
Dicit, & centum potiore signis
Munere donat:

Flebili

Flebili sponsæ, iuuenemue raptum,
Plorat; & vireis animumq; moresq;
Quæ aureos educit in astra, nigro-
Que inuidet Orco.
Multa Dircæum leuat aura Cycnum,
Tendit Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: Ego apis Matinæ
More modoq;
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus, vuidiq;
Tiburis ripas; operosa paruus
Carmina fingo.
Concines maiore poeta plectro
Cæsarem, quandoq; trahet feroceis,
Per sacrum cliuum, merita decorus
Fronde sicambros:
Quo nihil maius, meliusue terris
Fata donauère, boniq; diui,
Nec dabunt: quamuis redeant in aurum
Tempora priscum.
Concines lætosq; dies, & vrbis
Publicum ludum, super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumq;
Litibus orbum.

Tum

Tum meq; siquid loquar audiendum
Vocis accedet bona pars, & ò Sol
Pulcher, ò laudande, canam recepto
Cæsare fœlix
Tuq; dum procedis Io triumphe
Non semel dicemus Io triumphe
Ciuitas omnis, dabimusq; diuis
Thura benignis.
Te decem tauri totidemq; vaccæ
Me tener soluet vitulus relicta
Matre, qui largis iuuenescit herbis
In mea vota.
Fronte curuatos imitatus igneis
Tertium lunæ referentis ortum,
Qua notam duxit niueus uideri
Cetera fuluus.

QVÆ TRADANTVR IN HAC ODE

Ex ipsis met poetæ verbis ac modo.

1 SCOPVM esse carminibus lyricis docère artem lyricam.
2 Docendi viam esse commodissimam, per indagationem & explicationem caussarum incedere.
3 Causæ rerum quot sint, & quis inter illas ordo & ratio.
4 Quis typus à lyricis poetis inspiciendus sit tamquam exemplar.
5 Interesse multú inter inuidêre, æmulari, & imitari; Et quid sit vnumquodq; istorum.
6 Dum ab æmulatione Pindari deterremur, ad illius imitationem inhitamur.
7 Iulus cur vocatus, qui esset Iulus?
8 Poetæ virtutem primú in rebus, deinde consistere in verbis.
9 Torrentes vnde, & qui dicantur.
10 Lyricam materiem esse quadruplicem, & quæ, qualesue singulæ illius partes.
11 Dithyrambi qui, & Bacchus cur dithyrambus dictus.
12 Idem cur vocatus bimater, & cur à M. Tullio duo diuersi Liberi patres putati.
13 Tria spectari in vno quoq; poemate, & quæ sint illa.
14 Dithyrambi, cur dicantur audaces.
15 Qui fuerint heroes, & vnde sic dicti.
16 Qui fuerint Centauri, & vnde sic vocati.
17 Potiora nobis esse poetarum munera quàm statuariorum & cur ita.
18 Cur commissæ inuicem & æstimatæ poesis & pictura.
19 In amatorijs, quod genus carminum sit honestissimum.
20 Quot & quæ sint, quæ virgines laudent in suis sponsis.
21 Qui sit poetarum lyricorum finis in genere: & quis vniuscuiusq; speciei lyricæ finis particularis.
22 Quæ sint efficientes causę poeseos, & quem inter se ordinem illæ teneant.
23 Cur se apem faciat Flaccus, & cur Matinam dicat, & vnde vox apud hebrêos, quæ apem significat.

Quæ

Quæ sit causa poetices opitulans, & cur poetæ Cycnos se vocitent.
Quæ sint causæ poeseos instrumentales.
Quæ sit vera forma, & quasi animus poeseos.
Quis Deo simillimus, dicendus sit in terris.
Quid in nos habere iuris fata, & quid boni diui dicantur.
Qui sint boni Dij.
Triumphi lætitia, & in re & in tempore & in loco; atque hic bisariam quomodo cernatur.
Et thuris & libaminis vnde voces deductæ; & cur thus in rebus sacris.
Iuuenescere quid sit, & vnde nomina cum vituli, tú iuuenci.
Imaginem cornutæ lunæ non in cornibus vituli, sed in macula constare, quæ esset in fronte.
Imitationem rerum differre ab imitatione artificum, & vtraque a nobis quomodo tractanda sit.
Duorum locorum diuersa lectio non contemnenda.
Vt sit hæc Ode Teres ac rotunda; principiumq; quo pacto mire complicetur cum fine.

HVGOLINI MARTELLI EPISCOPI GLANDATEN.

Commentatio *IN ODEM HORATII SECVNDAM LIBRI QVARTI.*

SCOPVS ODES.

Triumphi Sicambrici deſcriptionem adumbrans, cum aliqua laude Ant. Iulij: facultatis lyricæ docet artem ſubtiliſſime atq; eruditiſſime.

AD ANTONIVM IVLIVM.

» *Pindarum quisquis ſtudet æmulari*
» *Iule, Ceratis ope Dædalèa*
» *Nititur pennis, vitreo daturus*
» *Nomina ponto.*

ARGVMENTVM HVIVS ODES.

VT Pictor nobilis, qui humani potiſsimum repræſentandi oris artem profiteatur, in dilectæ coniugis ſpecie pingenda, neq; pigmentis parceret vllis, neq; pennicillis. Et vt orbis terrarum deſcriptor diligens, atq; elegans, vbi ad regionis paternæ fines perueniat, ibi ſe quam maxime curioſum, & politum ſcribendo probare adniteretur: Ita lyricus poeta Flaccus noſter poetices partem, quam

lyra tractat, lineamentis poeticis hac ode describens, nobilissimæ, ac præstantissimæ artis suæ colores omnes, lenociniaq; omnia studiose huc accersisse putandus est. Neq; immeritò sane cantionum omnium quas fecerit, cantionem istam artificiosissimã, elaboratissimam, splendidissimamq; præstauit. Ergo lyricam artem hoc loco lyricis numeris depingit ingeniosissimus, suauissimusq; poeta; atq; ita depingit, vt nullus neq; rethor, neq; philosophus explicare illam planius, vel docere subtilius possit. Quod sæpe autem aliàs monuimus, hic rursus repetitum, & diligenter obseruatum esse cuperem; Horatio nostro familiare esse, dum aliud in speciem verbis dicit, aliud in recessu longe maius nobiliusq; cogitatione concipere. Victoriam Augusti de Sicambris cum aliqua laude Antonij Iulij, cumq; Pindari græci poetæ singulari elogio celebrare, tãtum hic videtur in vulgus: Verumtamen dum id facit, miro, ac propemodum incredibili artificio, vniuersam facultatis lyricæ vim, doctis & cordatis hominibus explanat. Sed quid affert, de poematis huius suauissimi genere, & qua nam id methodo pertractat? Nimirum docet apertissime cuncta, quæ naturam eius patefaciunt; & ita docet, vt via & ratione præstantiore vlla demonstrari nequeant. Præcipiendarum rerum quarumuis ea solet esse via trita & lata, qua singulæ causæ peruestigantur, & enodantur: nam cognitis causis, ea, quæ de causis manant, non possunt esse non apertissima. Causas philosophi Platonici, sex omnino adnumerarunt: Nam præter quatuor illas potissimas, finalem, efficientem, materialem, & formalem, addidisse placuit etiam instrumentalem, & exemplarem; quarum tamen, vt peripatetici tradunt, hæc ad finem, illa reducitur ad efficientia. His ergo omnibus vtiliter perceptis, rei ipsius naturam, quæ ab istis dependet, omnino patefactam esse necesse est. Nam si cuius gratia fiat vnaquæq; res, & qui sit optimus typus eius cognoscatur, si à quo fiat, & qua ex re fiat, quibusq; instrumentis fiat intelligatur, si præ-

stantia,

A ſtantia formę ipſius, per quam veriſsime ſit, quicquid illa ſit comprehendatur, non eſt cur inquirere de illa, vel ſcire quicquam prętérea deſideremus. Agè modo ecquę ſunt lyricę poeſeos cauſę, dicamus; vt ſingulis apertis cauſis, quid ipſa ſit, & quomodo paretur addiſcatur. Agè ſodes, rurſus, inter illa ſex cauſarum genera, quæ dicebamus, ecquis ordo tenendus ſit, obſeruemus; vt ſuauiſsimo lepòri carminis, quantùm vtilis doctrinę, ac ſapientię miſcuerit poeta mirificus, admiremur. Finis plane reliquarum cauſarum quaſi pater eſt, & origo; in hunc apprime intendenda mentis acies noſtra eſt. Finis, qui ſit poeſeos in genere, neq; nos modo quęrimus, & latêre poteſt neminem; nam prodeſſe volunt, vel delectare poetę,

B " aut ſimul, & iucunda, & idonea dicere vitæ. Sed quis

" poeſeos lyricæ finis ſit in ſpecie, id ſanè cùm ſtudioſe perquirimus modo, tum deprehendi vix poſſe ducimus, niſi peculiari eius materia tractata, & explicata; Materia facultatis lyricæ non poteſt explicari commode, niſi conſtituta Idèa, in quam, tamquam in exemplar perfectiſsimum, abſolutiſsimumq; à lyrico fictore reſpiciatur. Ergo Idèa lyrica primùm omnium ſtatuenda, ſecundo loco materies conquirenda nobis erit: Hinc ſtatim tertio loco, qui verus ſit, & particularis finis poeſeos melicæ conſtabit. Iam & fine, & exemplo, & materia ad ædes extruendas comparatis quid amabo reſtat, præterquam &

C fabros, & architectos accire? Ergo quarto loco efficientes cauſæ noſcendæ fuerint. Et quoniam vel artifex, vel operarius ſine aptis inſtrumentis manum operi admouère nequaquam poteſt; ſuntq; prǽterea aliqua, ſine quibus oportunè nauare operam haud quimus; ſtatim, & iunctim quinto loco, & ſexto, cum lyricæ artis inſtrumenta ſubminiſtrantur, tum cauſæ adiuuantes non ſubticentur. Tandem & vltimo loco emergit forma ipſa, opuſq; perfectum extat. Hæc omnia, & nonnulla præterea multum vtilia, & ſuo quæq; ſingula loco, quem indicauimus, tradit nunc Flaccus de lyrica poëſi. Quis id cre-

dat? Quis, poetam, philosophi partes agere tam bellè vidit vnquam? Aut quis, artificio singulari detecto, de his omnibus certior factus, non hominis admirabilem ac pene diuinam mentem admiretur? Haberi nullam hic verbis meis fidem postulo; tantum expectare apertissimè huius Horatianæ sententiæ, precor lectorem æquum, explicationem nostram ad sua loca; tunc etenim, quæ diximus planissima omnia, & compertissima doctis, & ingeniosis fore nō diffido. Sed quid vetat nunc loco prę ludij, quam breuissime totam huius admirabilis ac penè incredibilis doctrinæ formam adumbrare? En iuuenes, En bonarum litterarum studiosi atq; eruditi iuuenes, vultis edoceri melicam artem à melicorū omnium mellitissimo vate & doctore? Diligenter animaduertite, quæ in hac ode Flaccus vobis claudat, & recludat. Imprimis exemplar, inquit, vobis ad imitandum constituite, præstantissimum. Pictores non ne opera priorum intuentur? rustici non ne probatam experimento culturam in exemplum reuocant? & vos rectore aliquo, mihi credite, ac duce laboris vestri, qui futurus vobis sit fructuosus, carère non potestis. Ducem autem vllum Thebano Pindaro præstantiorē illustrioremq; lyrica studia nancisci non possunt. Deinde quadruplicis generis materiam scitote vobis esse tractandam; in dithyrambis, in hymnis, in epinicijs, in eroticis. Nam quicquid suaues lyræ personant, ad vnum istorum quatuor generum sine dubio refertur. Tum (quod primū omnium & maximum erat) addiscite hinc, lyricæ poeseos finē, in quem omnes fides intendantur diligentissime, esse proprium, mortales, facere immortales. Re vera cęlo Musa beat, re vera dignum laude virum Musa vetat mori. Quid amplius optare, vel quid petere a Dijs possumus aut maius aut melius? Ad hæc non vos fugiat, tria esse, quæ nobilissimum studium hoc pariant, & perficiant; Ingenium, artem, exercitationem: Tria etiam esse, quibus hæc ars, in suo munere fungendo vtatur; Carmen, vocem,

A

B

C

A cem, lyram. Præterea ſcitote, neq; inter forenſes ſtrepitus, neq; in aulis regum, muſas habitare ſolere; ſed fontes adamare & nemora: Nam ſolitudine atq; otio
„ ruſtico poeſis adiuuatur plurimum; ſcriptorum chorus
„ omnis amat nemus, & fugit vrbem; & vt ille ait, Carmi-
„ na ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt. Deniq;, docti adoleſcentes, hoc potiſsimum memori mente infigitote, artem poeticam in imitatione conſiſtere: Imitationem quaſi vitam animumq;, ſine controuerſia huius eſſe facultatis. Imitatio vero quid ſit, quomodoq; paretur, non verbis indicare vobis, atque oratione, conſilium eſt; ſed re ipſa atque facto aperire, ac penè tradere volo. Accipite imitationis poeticæ duplex à me exemplum;
B alterum triumphi, vt rei totalis; alterum vituli, vt rei partialis. Si vtrumque horum expreſſe, quaſi tabulam pictam oculis, cogitatione cernetis; poëſim credite vita ſua vegetari, perfectaq; forma inſigniri. Quis hic non videat, & quid ſit lyrica poeſis, & a quo ſit, & de qua materia ſit, & quem ad finem tendat, quemq; ad typum effingatur & inſtruatur? Sed hæc apertiora lucidioraq; fient in expoſitione textus.

OCCASIO SCRIBENDÆ

C

HVIVS ODES.

EXPOSITIS cauſis per ſe poeſeos melicę, dicenda nobis eſt occaſio tamquam cauſa per accidens huius odes ſcribendæ; nam fortuitas huiuſmodi cauſas in genere, quādo ſunt innumerabiles, explicare potis non eſt. Occaſionem huius carminis fingendi, non dubitamus fuiſſe victoriam Octauiani Auguſti iam partam de Sicambris intimæ

tunc

tunc temporis Germaniæ populis. Cur Christoforus Landinus, vir cum doctus, tum minime negligens, hosce pro Cantabris posuerit, & populos esse in Hispania affirmauerit, sanè miror. Hos populos narrant, vltra Albim fluuium submotos, & in Gallijs postea secus Rhenũ habitare coactos esse, hodie quos Gheldrenses, et Cleuẽses vocamus. Nam lætissimo nuntio Romã perlato, cũ omnes Cęsarem propèdiem ad vrbẽ, vt triumphũ duceret de tã bellicosa ferociq; natione subacta sperarẽt expectarentq;, Horatius in Augusti laudem hoc Epinicij meditatus est. Quem etsi non ipsum, sed per legatos hoc bellum administrasse credamus; tamen quia suo iussu, suis auspicijs, suis consilijs, ipso deniq; in fines vsq; Italiæ, Aquileiam fortasse, vel Mediolanum vti solebat, profecto, quo tempestiuius pro rei bellicæ oportunitate, quæ opus erant omnia, largiusq; suppeditarentur, gesta, & confecta fuerunt, triumphare solum, & tamquam imperatorem, & victorem laudari, & celebrari decebat. Quoniam vero de eàdem fidelia duos aliquando parietes dealbare non denegatur; dum Sicambricam victoriam cantat, Antoniũ Iulium summo quoq; honore afficit, in cuius gratiam hæc scripsisse videri vult. Fuit hic Antonius, M. Antonij triumuiri filius, vt inter omnes constat; quamuis de matre, Fuluia nè, an Octauia, vti dicunt, Augusti forore, & eiusdem M. Antonij aliquando vxore, non omnino liquet. Ab Octauia certe, a qua Iulij etiam cognomentum accepisse videtur in summa gratia apud fratrem positum legimus: fuisse autem illum optimarum artium studijs imbutum, neq; mediocrem etiam poetam; ex hoc ipso carmine licet colligere.

EXPLI-

A

EXPLICATIO ODES.

" *Pindarum quiſquis ſtudet æmulari*
" *Iule, Ceratis ope Dædalèa*
" *Nititur pennis, vitreo daturus*
" *Nomina ponto.*

QVIA poetæ propoſitum erat in hoc carmi- ne, poëſis lyricæ artem, lyrica ſuauitate de- monſtrare; poetæ autem factores, & fictores quidam perhibentur, & ſunt: fictores au tem prototypum aliquem, ſibi ſtatuere ſo- lent ante oculos, in quem artis ſuæ neruos intendant; anteomnia typum atq; exemplar, ad quod poetæ me- lici colliment hoc loco proponere nobis Flaccus inſti- tuit. Exemplar autẽ nullum aliud parari poſſe pręſtan- tius Thebano Pindaro contendit. Et ſane mirabile eſt; quo pacto poetæ non vulgares, dum vnum in vul- gus proponunt, aliud ſecum erudita aliqua intelligentia meditentur. Hinc etenim Horatius, dum Ideam lyri- cam nobis commonſtrat, ea dicit; quibus viri docti lo- cum hunc interpretantes, poetæ mentem affirment fuiſ- ſe, Pindarum imitari periculoſum eſſe: verum neq; hoc Flaccus dixit, neq; ſi verbis dixiſſet, id omnino mente in- tellexiſſet. Et quomodo, ſodes, prohibuiſſet, quod ne- ceſſarium eſt factu, ac ſummopere poetis conducibile? Aemulatio, me hercle, longe diſtat ab imitatione; & imitari multum differt ab æmulari. Quis ignorat, vt in- uidère, ſit inhiare bonis alienis, ita vt ægre nobis ſit, ea poſſideri ab alio, ſiue illa bona nobis accedant, ſiue non accedant; ita æmulari eſſe bonis alienis inhiare, ita vt cũ aliqua acerbitate animi maiora bona nobis accreſcant, ſiue alius ijs priuetur, ſiue non priuetur: imitari vero

eſſe,

B 4 C 5

esse, sine vlla acerbitate animi, imo cum aliqua bonorum alienorum admiratione & obseruatione ita inhiare bonis alienis, vt nobis quidem illa studeamus adijci, ab alijs verò nullo modo cogitemus detrahi? Ergo Pindarum imitari .i. illius vestigia sequi, in illum, tamquam in exemplar intueri, similem se illi velle fieri quam maxime, ad virtutes & laudes illius quam proxime dare operam vt appropinquemus sine vlla acerbitate animi, imo cum admiratione & obseruatione bonorum illius, & laudabile profectò est, & in hoc poetico studio pernecessarium. Contra verò, si temeritate quadam, si cupiditate arroganti speraremus posse nostro vel ingenio vel labore Pindaricos fontes superare, hoc est, meliores & præstantiores versus facere, quam Pindarus fecerit; sanè audacia hæc existimationi nostræ periculum, & perniciem certissimam crearet. Hoc imitationis & æmulationis discrimen non clam fuit virum doctum, latinitatis auctorem non contemnemdum; Habebam inquit illos in manibus non vt æmulator; (improbum .n. ac penè furiosum esset) sed vt imitarer ac sequerer. Ergo non ab imitatione Pindari, sed ab æmulatione deterret nos Flaccus. Et sanè Quintiliani vel etiam Macrobij auctoritate, defendere se optime potest, qui hoc loco Pindarum inimitabilem esse dicat; vt M. Antonius Muretus vir eloquentissimus & politissimus in liminari Odes apposuit; sed Pindarum imitari periculosum esse dicere; vt Dionysius Lambinus & doctus, & vtriusq; linguæ obseruator diligentissimus inscripsit, qui etiam in scholio, æmulari hoc loco, valère imitationem affirmauit, quomodo certe defendere valeamus, nó video. Nam M. Fabius dum dicit Flaccum meritò credidisse Pindarum nemini esse imitabilem; & Macrobius dum profert Pindarum a Flacco imitationi inaccessum iudicari; imitationē acceperunt sine dubio pro æmulatione: sicut æmulationem è contrario non negamus sumi nonnumquam pro imitatione virtutus (M. Tullio ipso teste). Quod autem

idem

A idem Lambinus de quarti casus iunctura contendit, quæ semper efficiat, verbum æmulari valère imitationem virtutis, id certe neque perpetuum vbique est apud bonos latinæ linguæ auctores; et, si perpetuum apud bonos scriptores prosa oratione esset, quomodo non ab excellentibus poetis, qui grammaticorum leges de industria sæpenumero transiliunt, paruipendatur?

Pindarum quisquis. Nouem lyricorum longe principem fecit antiquitas Pindarum, spiritus magnificentia, sententijs, figuris. Itaque, quicumq; Pindari gloriam in lyricis carminibus pangendis superare nitatur, is nimirum audaciæ ac temeritatis pœnas dabit ad instar Icari.

B Icarus patris Dędali ingeniosissimi artificis opera, pennas cera iunctas infixasq; sibi induxit; vt Cretensis regis Minois, aeri sese volatu committens, effugeret custodiã. Sed dum altius se, quam a patre præceptum & præmonstratum erat, attollit; vicinitate solis (vt tradunt fabulæ) alarum fulcimento colliquefacto, in mare Creticum decidit, nomenq; suo casu & calamitate indidit mari; nam

» Icarus Icarias nomine fecit aquas.

Iule. Iule autem pro Iuli, antiquissimum cognomen, vnde Iuliorum familia, seu gens potius prognata fuerat,

» reuocans & illustrans. Nam, Iulius a magno demissum

» nomen Iulo; vt poeta cecinit; & T. Liuius narrat Iuliam

C gentem, Iulum auctorẽ sui nominis nuncupasse. Satisq; mirari non possum, cur istius voce decepti, Antonium Iulum, & non potius Iulium scripserint interpretes; cum neque familiam Iulam fuisse vllam Romæ cõstet, & hũc, vt a nouerca siue matre positum in Augusti gratiam legimus, ita ab eàdem in Iuliam familiam ascitum, facillime coniectare possumus.

Vitreum autem vocat mare, quòd aquas habeat pellucidas; & vt Lucretius ait, serenas perspicuasq;. Nil .n. vitro est pellucidius: esse vero θάλατταν διοπτροτέραν, τ ποτίμων παχυτέραν οὖσαν philosophi non dubitarunt,

 & ex-

& experientia nos docet. Artificiose itaq; Flaccus, dum ab æmulatione tanti poetæ, modestos poeticæ facultatis studiosos deterret, ad illius imitationem inuitat. Cur autem imitandus sit Pindarus, & cur illius carmina tamquam exemplum melicæ poeseos ad imitandum nobis proponenda sint, subiungit.

A

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluère ripas
Feruet, immensusq; ruit profundo
Pindarus ore.

B

PINDARI granditatem, copiam, vehementiam, magnificentiamq; laudat & admiratur. Et quoniam duæ sunt res potißimum, quæ poeticarum scriptionum granditatem efficiunt, res & verba; in vtroq; horum Pindarum dicit esse amplum, vehementem & copiosum; propterea q; torrenti illum confert, qui repentinis & cõfertis imbribus impetuose pleno ac superabundãti aluco decurrat. Ad hunc locum respexisse Quintilianus videtur, dum beatißimam rerum verborumq; copiam in Pindaro admiratur, & velut quoddam eloquentiæ flumen, illum celebrat. Torrentem autem intelligi, non placidum flumen, cum verba illa, *monte decurrens*, tum illud, *feruet*, significant: nam de propinquo monte riui, pluuia copiosa ingruente, non possunt non fieri torrentes; & torrentis vox, cũ à verbo torreri deducatur, quod idem in arido est, atq; feruère deprehendatur in calore humido; sat nobis apertum facit, dum feruère amnem dixit, torrentem illum esse significare. Quamquam si propius adhuc spectare libeat feruendi vocem, quatenus referatur ad illud *ruit*, quod sequitur, maior sublimiorque loci huius intelligentia reuelabitur. Nam vt feruor in re ipsa tantum, quæ feruet intelligitur; ita ruina co-

C

A gitari non poteſt, niſi ad aliud ruendo allidat atque procumbat. Sic ex illis duabus rebus, quæ ſpectandæ cum primis ſunt, in omni dictione vel oratoria vel poetica; res, & verba; cum res, hoc eſt, conceptus, quos de rebus formamus in nobis maneant; ſiquidem ampli ſint, magnifici, vehemẽtes; meritò feruêre oratio noſtra dicetur: verba autem cum ad alios proferantur exterius, ſi vehementia ſint, & fœcunditate copiâq; ſua, hominum aures & mentes violenter impellant, iure, *profundo ore* ruere dici poſſunt.

Ergo Pindarus χειμάῤῥῳ ποταμῷ ἴκελος eſt, quem largi imbres *aluerint*.i. exuberare fecerint extra alueum, ſuperq; ripas conſuetas, quas vocat *notas*: Nam quæ conB ſueta ſunt, nota nobis eſſe neceſſe eſt. Et hæc omnia pertinent huc vſque πρὸς τὴν διάνοιαν. Quę ſequuntur πρὸς τὴν λέξιν, cum ſubdit, *immenſuſq; ruit profundo Pindarus ore*.

Quod ſi inter formas dicendi, M. Fabio teſte, figurarũ omnium prꝗſtantiſsima illa dicenda eſt, quę ſimilitudinẽ & translationem & allegoriam ſimul includit: hic medius fidius, quaternarij prꝗſentis circuitus, pulcherrimus floridiſsimuſq; ſit, neceſſe eſt; in quo triplex poeticarum diuitiarũ theſaurus recondatur. Nam, *velut*, ſimilitudinem arguit; *alere, feruère, ruere* metaphoras produnt; *amnis, feruens, & ruens*, allegoriã demonſtrat; quę *feruore* quidẽ ſenC tentiarum grauitatem, *ruina* autem ſtrepitum impetumque verborum ſignificat.

" *Laurea donandus Apollinari,*
" *Seu per audaces noua dithyrambos*
" *Verba deuoluit, numeriſq; fertur*
" *Lege ſolutis.*

DESIGNATA nobis lyricæ poeſeos cauſa exempla-

ri, typoq; in quem artifex intendat, proposito, ad materiem expediendam se se accingit poeta. Vbi .n. apud architectos de tota domus effigie & compositione constitutum fuerit; tunc de lapidibus, de cæmentis, de lignis atq; tignis, deq; reliqua materie cogitandum est. Materiam lyricam proponit hoc loco Flaccus quadruplicem, quotuplicem in epistola ad Pisones diserte explicuit.

A

10

Musa dedit fidibus diuos puerosq; Deorum
Et pugilem victorem, & equum certamine primum
Et iuuenum curas, & libera vina referre.

Nec verò aliud ferè tractat melicus, præterquā vel Deorum, Heroumue laudes in hymnis; vel agonistarum victorumq; palmas ac triumphos, quales in ijs carminibus, quæ de Pindari poematibus nobis supersunt, adhuc videre est: vel affectus amoris, vt Anacreontis lusus, & Sapphonis cupidines in quibusdam fragmentis testantur; vel in morem bacchantium lætos ac temulentos furore quodam percitos dithyrambos. Hæc postrema facultatis lyricæ pars, nunc ab Horatio collocatur in primo loco; nec sanè immerito; cum ea sit, quę finem huius artis pręcipuum attingat propius, vt paulo post explicabitur: vnde facultas vniuersa lyrica, priuato nomine ad cōmunitatem assumpto, a magno totius philosophiæ magistro dithyrambica vocata fuisse credatur.

B

Laurea donandus Apollinari. Lyricis vatibus longe pręstare Pindarum in quouis quadruplicis huius generis poemate affirmat; ita vt nullus, vel ipsius Apollinis musarum patris ac moderatoris iudicio, coronam ex lauri folijs, quam lauream, adiacente pro substrato sumpto, vocat, prius digniusq; sit vmquam meritus. Sic enim & in illo vulgato M. Tullij elogio accipitur. Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. Certasse autem olim poetas priuatis poematibus publico iudicio subiectis; & in certamine victores, diuersi generis corollis, præcipue vero lauri coronari solitos, notius est, quam hic referri deceat. Laurum quoque, quæ δάφνη græcè nuncu-

C

patur,

A patur, in magno pretio fuiſſe apud Phebum, qui Daphnidem nympham adamauit (vnde laurus, Phebèa, ſiue Apollinea vel Apollinaris vel etiam Delphica iure dicatur) norunt omnes.

Siue per audaces. Doctiſsimè atque elegantiſsimè deſcribit dithyramborum carminum rationem; vt penè plus ex hoc vno loco, quæ ſit eorum vis & natura intelligatur, quam ex omnibus alijs libris, qui ad nos vel iniuria vel gratia deferentis omnia temporis ſuperſuerint. Latini quidem, vt M. Tullius teſtatus eſt, genus hoc poematis minus tractarunt; græci, qui fuerunt quam plurimi, interierunt omnes. Conſtat tamen dithyrambos fuiſſe genus carminis, quo Bacchus laudaretur, qui Dithyrambus cognominatur. Sed cur Liber pater, Dithyrambus dicitur? An quòd in antro Dithyrite educatus ſit? an potius quod homines faciat loquaces, quaſi os patulum habentes *δίθυρον*, & biualuum? An quòd *διθύραμβος*, dicatur vice, *λυθιράμβυ* cognominis Bacchi, propterea quod Nimphæ, parturienti Ioui de coxa, acclamarent, ſiue, vt alij volunt, Iuppiter ipſe, dum infantem fœmori aſſutum vocaret, ad auraſq; vitales capeſſendas excitaret, ſæpe repetita voce compellaſſet *λῦθι ῥάμμα* .i. ſolue ligaturam? An, quod veriſimilius eſt, quia Liber pater bis editus fuit, ſemel ex Semeles vtero, iterum ex Iouis fœmore, merito *διθύραμβος*, quaſi bipoſtis dictus ſit, quia *ἐκ δυᾶν θύραν βέβηκεν*, vel, vt alij dicunt *δὶς θύρας ἀμείβων*, vel *ἀμαιῶν*? quamquam apud noſtros Origenem & Euſebium duplex hæc natiuitas, ſiue duplex oſtij natiui apertio illuc referatur, quod Dionyſius olim a Titanibus diſcerptus, a Cerere, tamquam ab altera matre recoctus & denuo refectus reuixerit; vnde etiam *διμάτωρ* ab Orphèo, & bimater, iterumq; ſatus, ab Ouidio cognominatus ſit. Cuius etiã fabulæ cõmentũ, vnde ſumpſerit originẽ, neq; difficile, neq; inutile eſt ratiocinari. Apud oẽs .n. nationes ſeptentrionales, vinũ, vel quo vini loco fruãtur, ex frugibus ac preſertim hordeo cũ floribus

lupi

lupi ſalictarij decoctis, conſit: quam potionem (aſſuetis modo) ſuauiſsimam & ſaluberrimam, Byrram vocant. Vnde & cur M. Cicero alium Liberum Bacchum fecerit, a Libero, quem Romani auguſtè ſanctèq; colebant cum Cerere & Libera: & cur Proſerpina Cereris filia diceretur Libera, intelligere etiam poſſumus; quamuis non deſint eruditi iuriſconſulti qui hanc geminam Bacchi natiuitatem eò rettulerint, quòd ſacerdotem initiatũ renaſci oporteat, & quaſi, vt antiqui loquuti ſũt, recentari. Hinc factum eſt; vt genus carminum, quo vini laudes ac vires, Bacchantium commotæ mentes, licentia atq; inſolentia Euiadum Menadùmq;, deniq; quicquid in cultum Dionyſij decantatur, Dithyrambi vocati fuerint. Fuiſſe autem apud veteres huius Dei religionem mirificam, & (vt loquamur verius) ſuperſtitionem inſanam, dæmoniſque illuſionem funeſtam & ſceleſtam, quæ multis ac miris cæremonijs excoleretur; quiq; in ea initiati forent, & enormibus quibuſdam, furibundis propè myſterijs addicti, atque àdeo νυμφόληπτοι (vt Plato loquitur in Phædro de Dithyrambis) furentium & inſanientium more ſaltantes & vociferantes ſolemni pompa incedere, vel potius debacchari ſolitos fuiſſe, notius certè eſt, quam a nobis hoc loco repeti longius deceat. Omnino Bacchanalia, ſumma celebrabantur inſania, vt teſtatur Diuus Auguſtinus; qui etiam teſtimonio Varronis dicit, ea non potuiſſe fieri a Bacchantibus, niſi mente commota.

Vt autem aliquantò melius, quæ ratio Dithyramborum fuerit, quidq; hic a Flacco de illis dicatur, intelligi poſsit; ſciendum eſt; tria eſſe, quæ in quolibet poematis genere priuatim ſpectanda ſunt, vt ab alio congenere diſtinguatur. Vnum eſt διάνοια, quæ quaſi materies eſt, de qua tractatur. Alterum eſt λέξις, qua exterius, tanquam inſtrumento, ſententiam illam ſermone ac dictione declaramus. Hæc ſuperius vocabamus res & verba, noſtrum hunc imitati; Verbaq; prouiſam rem non inuita ſequentur. Tertium eſt numerus, ſiue ratio carminis,

A minis; quo tamquam aliquo medicamento, & ſententiã & dictionẽ fucamus coloramuſq;. Nam cũ poeſis ſit imitatio, quę oratione fit edulcata; imitatio quidẽ cernitur in ſentẽtia; oratio autẽ cõficitur verbis; dulcitudo ſẽtitur ex rythmo modòue carminis, aſtrictione pedũ inter ſe per ſyllabas cõplicatorũ. Hæc tria ſingillatim nũc Horatius, & qđ magis amabile atq; admirabile eſt, ſuo quæq; ordine ponit; vt omnem dithyramborũ naturã intellectã & quaſi depictam ante oculos teneamus. Nam quo ad Dianoèam ſiue conceptus licentiæ plenos, quos imitantur poetæ dithyrambici, vocat illos *audaces*; debacchantium .n. & temulentorum hominum ſenſus mentis, qui, quòd Deo pleni ſunt, atq; ἐνθουσιασμῷ pèrciti, non poſſunt 14

B non eſſe audaciores. Quanta .n. ſit Bacchi vis, quantumq; in humanis præcordijs vini modus immodicus poſſit, præſèferunt. Quo autem ad genus dictionis; quia dictio, quæ ſequitur ſemper naturam conceptionis, nec triuialis nec vulgaris in hominibus furore quodam diuino concitatis, eſſe poteſt; dicit *noua verba*: vnde Ariſtoteles verba compoſita, dithyrambicis apta multum, vti linguas Epicis accomodatas eſſe, affirmauit; qualia ferè vocat alibi noſter poeta verba ſexquipedalia. Quo autem ad numeros, quos auctore Quintiliano, aliquando etiam rythmos vocamus (quod tertium erat in re poetica conſiderandum) dicit eſſe, *lege ſolutos* .i. non admodum adſtri

C ctos, ſed liberos & incertos pro libidine auctoris, quod etiam ſcolijs & pœanibus concedebatur; vt meritò M. Tullius dithyrambos vocarit licentiores & ditiores; ſiue ille, carmen aliquod, ſiue, quo incèdunt carmina, pedem hoc nomine ſignificarit. Et ſanè lymphatos homines Liberi patris ſpiritu correptos, nec ſui iam compotes, vt audaces nimium cogitationes, & planè temerarias habẽt in mente, & verba proferunt ore inſolentia, noua atque inuſitata; ſic legem carminis congruebat habere liberiorem licentioremq;. Neque me clam tamen eſt; clariſſimum hominem Iulium Scaligerũ, & qui me longe ma-

gis

gis mouère poteſt Petrum Victorium doctrinæ exquiſitiſsimæ ac iudicij purgatiſsimi virum, dithyramborum audaciam, quam hoc loco notauit Flaccus, retuliſſe ad iſtam carminis licentiam, numerorũ incertitudinem, certorumq; pedum negligentiam. Sed ſi per virum hunc humaniſsimum ac modeſtiſsimum mihi liceat, a cuius opinione diſcedere, bonarum litterarum ſtudioſo, fas eſſe puto nemini; multò libentius diſtinctionem noſtram tueamur, & ad materiam, quam tractant, audaciæ plenã, cogitationeſq; animi, quas meditantur temulentiores, non ad numerum liberiorem referamus. Primum, quòd Flaccus in exprimenda dithyramborum imagine, primam & potiſsimam partem, quæ materiem, genuſq; imitationis attingit, prætermiſiſſet: deindè quòd cum diſerte dicat *ferri numeris lege ſolutis*, non erat neceſſe, audaces etiam illos vocare, quod hoc ipſum liquidò valeat. Demum quod libertas carminis, quomodo vocari poſſit audacia, cum legitimum ſit in dithyrambo negligere legem, non ſat bene diſpicio. Nam quòd Franciſcus Robertellus clarus in litteris græcis & latinis, audaciam dithyramborum refert ad innouationem verborum, qua libenter vtantur id poetarum genus, probare certe nullo modo poſſum; doctrinæ enim ac diligentiæ Horatianæ minus id conuenire videtur. Si *audaces* valet nouitatem verborum, cur ſtatim apponit, *noua verba deuoluit?* itàne verborum prodigum agnoſcit vir doctus poetam attentiſsimum, laborioſiſsimum, induſtrioſiſsimum? Singulæ voces habent in hoc diuino vate ſingulares intellectiones. Sententiam noſtram adiuuant verba Senecæ, qui dicit. Non ob licentiam linguæ dictus eſt Liber pater, inuentor vini, ſed quia liberat ſeruitio curarum animos, aſſerit vegetatq;, & audaciores in omnes, conatus facit. Hinc author ipſe noſter Liberum vocat Audacem; Prælijs Audax neque te Silebo Liber. Dum verò *deuoluit* induxit; quis non videt, ſuperiorem torrentis imaginem atq; methaphoram vrgère? Turgidiora flu-

mina,

A „ mina (vt alibi canit) adesos lapides stirpesq; raptas, & „ pecus, & domos volũtant vnà, non sine montium cla„ more, vicinæq; siluæ.

„ *Seu Deos regesq; canit Deorum*
„ *Sanguinem, per quos cecidère iusta*
„ *Morte Centauri; cecidit tremenda*
„ *Flamma Chimera.*

AD alterum genus lyricæ poeseos accedit, in quo canuntur Dij atque heroes hymnis, pæanibusq;. Nam & B si pæan Apollinis laudes complectatur proprie; ad aliorum tamen quoque diuorum celebrationem patet, heroùmq;, quales Hercules, Theséus, Bellorophon alijq; quam plurimi extiterunt? Hos vocat hoc loco *Sanguinem Deorum*, vt in epistola ad Pisones vocauit filios Deorum. Qui autem sint heroes in vniuersum declarat, cum 15 reges illos nominat, hoc est, qui rerum potiuntur, qui alios regunt, populisq; dominantur. Sed num omnes viri potentes, qui habent imperium in homines, heroes dicendi sunt? Minimè verò; sed ij tantum, qui Deorum ex sanguine sunt: verumtamen qui nam hi sunt? qui vè Deorum filij rectè dici possunt? Sanè qui propria virtu- C te, quæ ex Deo est, genus ducere de cœlestibus sedibus, comprobarunt. Sed num, qualibet virtute præditi homines, heroes dicuntur, & tamquam semidei honorandi & celebrandi sunt? Haud certè: verum illi mortales tantummodo diuorũ loco habendi, qui cò virtutis sunt progresi, vt de hominum genere benemererentur. Ergo heroes illi verè dicuntur, qui facinore aliquo præclaro edito, reip. salutem vel emolumentum eximium attulerint; vnde & heroes dicti, quasi ἔρωτες; quia vt licet existimare, de patria deq; republica benemereri nullus potest; qui non vitæ prodigus suæ, longè plus alios,

quàm se ipsum amarit. Huiusmodi fuerunt olim apud antiquissimos græcorũ cùm Theseus tùm Bellorophon, vt hoc loco innuit Flaccus: ille in terra Attica, latrones, qui passim populabantur, agebant, ferebantq; omnia, vel iusto supplicio affecit, vel in alienas terras procul abègit; (Centauros enim (vocis ethymo ductus) latrones interpretor, qui boues a misellis agricolis abactos centris, quò vellent compungerẽt compellerentq;. Creditos autem anteriori quidem parte homines, posteriore vero equos propterea putarem, quia latrones nullo certo loco consistentes, hodie in hac regione appareant, cras velocissime quasi equi in aliam longissime distantem regionem sese proripiant) Bellorophon autem in Lycia montanos quosdam late tractus, qui capreæ nomine, quã græci chimæram dicunt, vocarentur, vel in imis conuallibus propter serpentes, vel in editioribus locis propter leones, inaccessos; & vbiq; propter ardentes ignis flammas euòmitas, inutiles & insalubres, ad vsum hominum proficuamq; culturam incolarum redègit.

Siue quos Elea domum reducit,
Palma cœlesteis, pugilemue equumue
Dicit, & centum potiore signis
Munere donat.

IAM ad tertiam melicæ poeseos partem descendit; ea est, quæ preclarissimorum hominum laudes, victorias, triumphos celebrat, epinicia, encomia cantat. Et quoniam inter græcos, vt Cic. tradit, olympionicem esse iudicabatur, prope gloriosius, quàm Romæ triumphasse: Per olympiacas palmas, significat victorias quascumque quatuor illorum certaminum celebratissimorum, vel ex tetrastico notissimo olympicorum, Pythiorum, Isthmi-

A Iſthmicorum, Næmeorum; imo & per ludos, quatuor glorioſas quaſcumq; imperatorum, ducum, victorumq; triumphales laudes intelligit. *Palmam autem Eleam*, vocat, in olympicis ludis declarari victorem; quoniam Olympia ciuitas fuit in Elide regione metropolis, ſiue illa Peloponeſsi antiquiſsima Piſa eſſet, ſiue minus, a qua regione Eliades equas & Eleum campum Virgilius, & hoc loco Eleam palmam .i. olympicam Horatius denominarunt.

Domum reducit palma cœleſteis. Apollinea quoq; laurea donandus eſt Pindarus; interq; melicos poetas principem locum obtinet, in tertio lyricorum poematum genere; in quo victores olympici, laudibus ad aſtra tolluntur, quos victores Elea palma reducit domũ cœleſteis .i.

B quos agoniſtica victoria, cum maxima atque immortali gloria in patriam reuehit nobiles & præclaros, quaſi beatitudinem, quam in cœlis tantum veram atq; perennem conſequimur, adepti eſſent in terris; quam ſententiam alibi expreſsit; palmaq; nobilis terrarum dominos euehit ad Deos.

Pugilemue, equumue dicit. Et ſi plurima eſſent, diuerſaque certamina ſacra, quæ in ludis græcorum publicis certarentur; lucta, pancration, pugilatus, curſus, iaculatus, diſcus, quadrigæ, & alia id genus; tamen per pugilatum & curùle certamen, reliqua omnia nobis intellecta

C eſſe voluit; quomodo etiam in loco iam tertium nobis adducto; Et pugilem victorem & equum certamine primum; rurſuſq; faciet paulò poſt in ode ſequenti. Illum non labor iſthmicus clarabit pugilem, non equus impiger curru ducet achaico victorem. Iungenda autem hæc duo ſunt, niſi fallor, cum ſuperiori ſententia, neque diſtinguenda vllo modo ab illa. Nam quos Elea palma reducit domum penè diuos effectos, hi ſunt, qui vel pugilatu vel quadrigatu victores declarantur.

Et centum potiore ſignis munere donat. Iure Flaccus, cùm hac ode nobiliſsimam artem ſuam demonſtrandam ſu-

17 sceperit, laudare etiam illam voluit, & quantæ dignita- A
tis atque vtilitatis esset declarare. Nam, vt ille inquit,
" honos alit artes, omnesq; tunc vehementius accendun-
" tur ad studia, quando dignitatem & pretium esse maxi-
" mum in illis perdidicerunt. Si maximi facimus, senatus
populiq; decreto statuis erectis, nominiq; nostro dicatis
honestari; cantio autem vna eximij vatis alicuius longè
plus nomen honestat nostrum, quam omnes statuæ omi-
niaq; signa, quæ vultum, titulosque nostros præsefe-
rant; nulli dubium esse potest, quin ars melica longè
pluris facienda sit, multòq; sit præclarius excellentem
poetam amicũ nancisci, qui nomen nostrũ immortalitati
consacret, quàm statuarium habere quantum vis nobilis-
simum, qui etiam populi iussu nos fingat vel ex ære con- B
flato, vel ex marmore exciso.

Cur autem poetica munera pluris pendenda sint, quã
omnia decreta de signis in foro nobis statuendis, vel ip-
sæmet statuæ æneæ siue marmoreæ nobis erectæ; triplici
ratione probari potest. Prima; Poetarum carmina la-
tius patent; cum per vniuersum terrarum orbem voli-
tent; statuæ autem perpetuo stant in sua vnica basi; vt
Pindarus met hanc rationem indicans, vocauit illas ἐπ' αὐτᾶς βαθμῖδος ἑσταότας. Altera est; Versus poetarum
diuturniores sunt. Nam & ipse de se verissime dixit; E-
xegi monumentum ære perennius: statuæ autem, vt ait,
" Cicero, intereunt tempestate, vi, vetustate. Tertia; C
Longe melius explicantur præclara facinora carminibus,
quasi viuentibus spirantibus loquentibusq; imagini-
bus, quàm ipsis imaginibus omnino mortuis & mu-
tis: quis enim ignorat, vt pictura, poesis quædam mu-
ta est; ita poesim esse picturam loquacem & viuentem?

18 Summo autem atque admirabili consilio hic vi-
dêre licet, fuisse interpositam dissimilitudinem inter
pretium carminum & signorum; vt similitudinem, quæ
maxima intercedit inter poesim & picturam, melius
animaduerteremus; ex qua animaduersione diligentio-

re,

A re, poetices facultatis indoles ac vis apertius innotesceret nobis. Et sane quid sit poesis, quomodoque tota, quanta quanta est, in imitatione consistat, quidq; sit ipsa imitatio, nulla ratione liquidius intelligere possumus quàm exemplo & cogitatione picturæ: nam omnino vt pictura, poësis est.

Flebili sponsæ, iuuenemùe raptum,
Plorat, & vires animumq;, moresq-
Que aureos educit in astra, nigro-
Que inuidet Orco.

B QVARTVM genus lyricarum cantionum erat amatorium; quæ cum in varias ac diuersas formas dissecentur, Flaccus illam elègit, quæ omnium honestissima castissimaq; censeretur; ex qua reliqua amantium suspiria, vel deliria intelligi possent: Quid enim honestius, quàm defunctorum amicorum manes, piamq; memoriam honestare? quid verò castius, quàm sese coniuges amare inuicem, & animi dotes perpetui potius dilexisse, quàm corporis omnino caduci? Et ni falsus animi sum, in hac parte noster Flaccus, etsi de Pindaro videatur institutum sermonem producere; ad Sapphonem tamen oculum C adièccit: quam præclari ingenij & egregij animi viraginem scimus carmina eo vsque suauia condidisse, vt musa decima non immerito iudicaretur. Neque moueat quemquam, precor, quòd sponsam illam, quasi virginem nominarit; cum ab antiquis veluti non satis pudica notata & insimulata fuerit; nam poetarum est, non quæ sunt, vel vti fiunt; sed quæ esse deceat, quomodoq; fieri oporteat, decantare: cum Sapphone certè longè melius præclariusq; actum fuisset, si castam se, tamquam veræ musam præstitisset, quàm, si pudicitiæ candorem musicis lenocinijs infuscasset.

19

Ergò

Ergo lyricus poeta quartò loco amores, vel, vt alibi dicit, iuuenum curas, decantat. Inter amores iuueniles, illi potißimum castißime, & sine vlla lubricæ libidinis suspitione canuntur, qui desiderium amati capitis immatura morte perempti exprimunt. Quod sine multa laude, virtutumque illius celebri memoria profectò non fit. At defunctorum memoriam colere, & quasi carmine illis parentare, valde pium est: ardêre vero cupidine (face iam extincta) puritatem atque integritatem amoris commonstrat.

Flebili sponsæ. Primas etiam tenère Pindarum inquit, si deploret iuuenem raptum, quasi fato immaturo sublatum de sinu sponsæ *Flebilis*, idest quæ misere flendo alios ad fletum inducat; cuiusq; vicem omnes miserabiliter doleant fleantq;. *Et educit in astra*, idest laudat, laudandoq; immortales reddit; & sic a morte secunda obliuioneq; perpetua vindicat, quod est, *nigro inuidere orco*, prædicando, scilicet, *Vires animumq;*, & mores illius amabiles. Tria enim sunt, quæ puellæ suspiciant amentq; in sponsis suis; Robur corporis; has vocat, *Vires:* Fortitudinem animi; hunc dicit *animum:* Comitatem, humanitatem, moderationemq; vitę in familiari consuetudine: Hi *mores aurei*, sunt: Reliquas virtutes ac dotes animi, vel in iuuenibus non dum multum expetuntur, vel a puellis, reliquaq; turba vulgari non admodum agnoscuntur. Hic, antequam progrediamur, duo nobis obseruanda diligenter occurrunt, quæ lucem ingentem rebus, quas tractamus, afferre possunt. Primum, quòd ex hac partium lyricarum distributione, (prout a Flacco verbis explicatur) quis sit lyricæ poeseos finis, facile venari possumus; quem finem, etsi non promulgauit expresse, ita tamen non obscure insinuauit, vt illi tantum non cernant, qui aperire oculos in luce meridiana negligant. Cum dithyrambi non aliam ob causam decantentur, quàm vt homines, sacris Dionysiacis commoti, diuino numine, atque àdeo Deo ipso repleantur. Cùm

hymni

A hymni in Deos, Deorumq; filios dicantur, vt diuinis illorum virtutibus recensitis, nos ipsos ad eorum imitanda vestigia comparemus, similesq; diuis nos, quatenus homini liceat reddamus. Cum epinicia celebrentur, vt victoriarum laudes, & virtutes ad sydera tollant victores, & (vt Flaccus dicit) *cælesteis* illos efficiant. Cum amatoria sint ad hoc instituta, vt aperte declarat hic Horatius, vt mores aurei nobiles atque elegantes educantur ad astra, & a mortis ignorationisq; caligine vindicentur. Quis neget poetas in hunc spectare scopum, vt homines reddant immortales, Dijsq; beatis quàm maxime similes? Ergo finis melici carminis præstantissimus omnino est; quippe qui mortales studeat donare immortalitate. Al-B terum est; quòd admirabilem gradationem, non quidem per ascensum, sed per descensum vidère licet in istis quatuor generibus lyricarum cantionum suo ordine dispositis ab Horatio. Nam omnium maximum est afflari numine, Deumque ipsum quasi concipere; quod in sacris Orgijs Bacchi fiebat, dum versus dithyrambici psallebantur. Deinde aliquantò minus, ingens tamen est, hymnis & psalmis ita diuorum virtutem excolere, vt nos heroicas virtutes in nobis conformare adnitamur. Tum verò præclare nobiscum agitur; si humiliore felicitatis gradu, per corporeas virtutes iudicio publico dilaudatas, & comprobatas, ad immortalitatis gloriam perueniamus.
C Id quòd victrices coronæ poetarum potius carminibus, quam præconum gymnicorum vocibus impositæ nobis præstant. Denique optabile est, quamuis superioribus impar, opinione virtutis priuatæ celebrari per ora vulgi; id quod amatorum laudibus atque encomijs multi sunt assecuti. Itaq; primi vniuntur Deo; secundi, similes euadunt Deo; tertij, immortalitatem Dei nanciscuntur; Postremi, non quidem immortalitatem Dei, sed celebritatem non multum absimilem ab immortalitate consequuntur.

A

Multa Dircæum leuat aura Cycnum
Tendit Antoni, quoties in altos
Nubium tractus: Ego apis Matinæ
More modóq;
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum, circa nemus uuidiq;
Tiburis ripas operosa paruus
Carmina fingo.

B

EXEMPLARI ac materiali causis aperte declaratis, & finali non temere significata; accedit ad explicandam causam efficientē poeseos in genere; quando in hac, poeticæ facultatis formæ singulæ nullatenus discrepare noscuntur. Efficientia autem poeseos tria omnino esse cōspicimus; ingenium, artem, exercitationem. Nam & studium sine diuite vena, hoc est, doctrina sine natura, vt auctor noster alibi docet, parum promouet: & fœcunditas naturæ, sine doctrinæ seminibus sterilescit; vtraq; autem horum sine vsus vomere inculta & neglecta iacèrent. In exercitatione namq;, non modo sine dubio multum, (vt testatur M. Fabius) sed potissimū est, vt idem refert, discendi & artem sibi parandi genus. Insit ergo nobis poeticam lauream meditantibus, ingenium a natura; adsit scientia ab arte; accedat vsus per nostram solertiam & laborem; & Apollinari fronde non indigni deprehendemur: Hæc tria nobis hoc loco non solum exposuit, sed iterum atque iterum mirifico artificio atque ordine, paribus relatis paribus, repetita inculcauit. Et primo quidem modestissime se cum Pindaro compònens, dicit illum, quò ad naturalem indolem, ad poesim factum, essé Cycnum; se veró apiculam, in sectum minimum ad ali-

C

A tem maximum collatum. Quo autem ad litterarum ſcientiam doctrinamq; variam, Pindarum dicit leuari *aura multa*; Se verò *more modòq;* apiario non altum tendere, ſed humilia ſectari, dum grata carpit thyma. Qua quidem in re (vt parce ac modeſte de ſe loquatur & ſentiat) oſtendit in Pindaro vberem doctrinam fuiſſe, à qua longe abſit ipſe; ſed tamen diligentia, & ſedulitate legendi aliorum ſcripta ſupplere, quod de propria eruditione deſit ſibi. Quo autem ad exercitationem, Pindarum affirmat tendere *in altos nubium tractus*, ſe verò laborare plurimum. Quis modo non admiretur & exoſculetur induſtriam & artificium ſingulare huius laborioſi atque operoſi magiſtri? Et ſane decebat eum locum, in quo B de ſuo labore ac ſtudio teſtetur, eſſe elaboratiſsimum, & ſtudio mirifico concinnatum. Ergo rurſus tria illa, quę poetam efficere ſignificarat, ἀλληγορικῶς ingenium per Cycnum & apem; doctrinam per *aura multa leuari, & tyma grata decerpere*: exercitationem, per *altos tractus nubium*, & per *laborem plurimum*, repetit elegantiſsime atque induſtrioſiſsime ad ſe ipſum citra allegoriam referens; dum dicit, *paruus*, vt apicula, non vt Cycnus, quo ad ingenium. *Circa nemus vuidiq; Tiburis ripas*, quo ad doctrinam humilem, non excultam, non expolitam, ſed ruſticam & agreſtem, quam in Pindaro vocarat, *auram multam*, qua tolleretur altiſsime: in apicula vero di-C xerat, grata thyma carpere. Quo autem ad vſum & exercitationem (quod erat tertium) dicit, *operoſa carmina fingere*, quod in Pindaro tamquam Cycno vocarat, vti admonebamus, *Tendere in altos nubium tractus*, & in ape dixerat, *per laborem plurimum*. Hæc mira poetæ diligentia & obſeruatio, quo melius adhuc expreſſiuſq; teneatur, ſubiectam deſcriptionem exarare non pigebit.

D *CAV-*

A

CAVSAE EFFICIENTES

poeseos remotiores sunt tres.

1	2	3
Ingenium	*Doctrina*	*Exercitatio*
Cycnus	*Aura multa*	*Tēdere in altos nubiū tractus.*
Apis	*Tyma carpere*	*Per laborem plurimum.*
Paruus	*Circa nemus &c.*	*Operosa Carmina fingere.*

SED cur Matinam apem memorat? & cur potius Matinam inducit, quam Hyblèam vel Hymettiam? dicam. Remotioribus causis poetices in efficienti genere expositis; proximam in eòdem genere ostendi, par erat: Hæc autem, ipsemet poeta est; qui, vt in Pindaro describitur per *Dircæum*, hoc est Thebanum a Dirce fonte nobilissimo agri Thebani, ita in Horatio significatur per Matinam, a montibus sic dictis, qui disterminant Apuliam & Lucaniam a Calabria. Cum Flaccus neque àpulus esset omnino, neque Lucanus; nam de se dubitat; Lucanus an àppulus anceps; Venusinus autem (qualis Horatius) arat finem sub vtrumq; Colonus. Sic se ipsum designans per apem, iure Matinam agnominauit. Nam cur se apem fecerit Horatius, sanè non potest alicui esse dubium; cum apes, vt ait Varro doctorum omnium longe doctissimus, musarum volucres habeantur. Sed cur musis, sacræ dicuntur esse apes? An quia melliti verè sunt poetarum dulcissimi labores, & lepores? An quia vti melle nil suauius vel salubrius; ita boni poetæ sēper vtilitatem coniungere debent maximam cum suauitate: de illis enim dictum est verè: Omne tulit punctum, qui miscuit vtile dulci. An quia sicut apum examina vaga, nouas sedes quæritantia, cymbalis & plausibus certisq; numeris ad certum locum reducuntur; ita poetæ quicquid produnt, & rythmis & metris certisq; modis semper includunt? An, vt mihi præter hæc iuuat putare, apes natura sua castissimæ omnium animalium esse censentur?

B C

nam

A nam homines a coitu olidos acriter insectari, &, vt Plutarchus inquit, accipere malè, dicuntur. Neque enim concubitu indulgent, neque corpora segnes in ventrem soluunt. Musas autem esse castas (vnde etiam à castitate Camœnas esse dictas volunt) poetasq; amare & puros & castos, nullus reuocare in dubium potest: Musarum sacerdos virginibus puerisq; cantat. An quòd genus apum facile irritatur, & ni vehementer noceant, insectari vsque non cessant? Persecutus est vos Amorrheus, dicebat Moses, sicut solent apes persequi: & rex sanctissimus: Circumdederunt me sicut apes: vnde etiam vocatas putarem in lingua sancta quasi negocia, quòd vel minimum irritatæ molestæ sint, & negotium facessant. *Deborim.* B Esse autem genus irritabile vatum, notissimum est: & ipse Plato docuit in Minóe prudentis viri esse μηδέποτε ἀπεχθάνεσθαι ἀνδρὶ ποιητικῷ, nam qui poetas commouerit, flebit, & insignis tota cantabitur vrbe. An, quód & verissimum est, & huic loco maxime consentaneum; vt apes summo labore, summa sedulitate atque assiduitate rorem cœlestem de suauissimis quibuscumque floribus ita decerpunt & colligunt, vt proprium tamen liquorem dulcissimum, quod mel dicitur, efficiant: ita boni poetæ summo studio, indefessa meditatione, atque optimorum quorumcumq; auctorum lectione & electione diuinas sententias ita carpunt, vt propria tamen poetica mella mirum in modum & suauia & C proficua conficiant? Sed cur & nemoris & riparum tyburtinarum facit mentionem? Primò, vt efficientibus causis omnibus explicatis, adiuuantes etiam notet: Vates autem amare solitudines, montes, fontes, nemoraq; longè a populari strepitu secreta, nullus est, qui nesciat: Deinde, vt se ipsum studiumq; suum melius describeret. Nam vt patria declarata iam fuerat per Matinos saltus; ita consuetudo vitæq; studium suæ explicaretur per secessum Tyburtinum; quo summoperé delectaretur Flaccus, vt multis in locis aperuit; ac præsertim vbi se per-

cussum amore testatur præcipitis Aniênis, & Tyburtini lucus; & explicatius adhuc, atque ad nostram, quam prę manibus sententiam habemus, accomodatius; poetas inquiens oblectari solitarijs & remotis locis sacrorum ne- » morũ & riuulorũ murmurantiũ. Sed quæ Tybur aquæ » fertile perfluunt, & spissæ nemorũ comæ; & ode prima; gelida nemora poetas sectari præcipuè, significauit.

Vuidum autem vocat Tybur propter aquarum copiã, quas nostra etiam tempestate fertilissimum tractum illũ, & amœnissimum reddere nouimus; Vnde alibi de il- » lo loquens dicit: Et vda mollibus pomaria riuis; & alibi, » Ne semper vdum Tybur: &c. *Cycnos* autem, quos latini dixerunt olôres, celebratos esse a poetis quasi priuatum peculium, quia suauissimam vocem ante obitum edere credantur, notissimum est: Vnde sonum Cycni ode proxima sequenti, pro cantu dulcissimo, vetus adagium respiciens *κύκνειον ᾆσμα*, posuisse videtur. Quod Diuus Hyeronimus, in quo nihilo minor fuit elegantia doctrinæ, atq; sanctitas vitæ, interpratatus est Cycneum canorem; quamquam re vera Cycni clangorem anserinum potius sat ingratum edant, vnde meritò Vergilius » raucos illos vocauit; Dant sonitum rauci per stagna lo- » quacia Cycni. Cur verò poetæ tantòpere cantum illorum celebrent, se seq; illis potius quàm philomenis aut luscinijs, vel alijs quibusuis alitibus equiparare voluerint, doctiores edisserant. Nos fortasse præter id, quod M. Tullius ex diuino Platone, de eorum diuinatrice vi, vnde Apollini dedicati essent, testatus est; non male existimabimus, si ex Philostrato & Aeliano, Cycnos non canere, nisi flante Zephiro, edocti, dicamus, Cycnos meritò symbolum esse poetarum. Quia vt hoc genus auium nõ cantant nisi flante Fauonio; ita poetę nihil possunt in arte musica, quod iuuet ac delectet, nisi aspirãte diuino nu mine; quo tamquam Zephiro viuificentur, & quasi grauidẽtur eorũ pèrcitę mẽtes. Quod verò de cantilenis aliquantò dulcioribus instante illorũ fato dicunt, etsi fabu-

lolum

A losum videatur; quia greges olorũ in stagnis Narbonensibus a venatoribus vulneratos moribundosq; diligenter obseruarunt; neq; suauitatẽ illam vocis propterea perceperunt familiares nostri: tamen in his Cycnis, qui senio confecti naturę cõcedunt, multũ id incredibile nõ est; cũ propter exilitatem gutturis, instrumẽtis vocalibus factis argutioribus, vocem in extrema senecta suauiorem emittere posſint & iucũdiorem. Vnde cur poetæ Cycnos sese vocitẽt, noua quędã nobis ratio poteſt innoteſcere. Vt.n. Cycni senescentes fiunt canoriores, & vt ait Lucretius,
" liquidiorem lugubri voce querelam attollunt, cum nece
" detorquentur; ita poetæ iuueniles spiritus paulò calidiores maturando & refrigerando, semper procedente ætate, B fiunt elegãtiores & prudentiores. Hinc Oedipus Coloneus in Sophocle, qui a filio, iã insaniæ reus propter senectã ageretur, longè plus laudatur, quã alia eiusdem egregij poetæ quęuis fabula. Hinc pari ratione Panathenaicus in Isocrate (nam oratori multa sunt cũ poeta communia) longè plus a doctis cunctis probatur, quàm alię eiusdẽ artificiosiſsimi rethoris dulciſsimæ declamationes.

" *Concines maiore poeta plectro*
" *Cæsarem.*

QVIA instrumentorum quoq; notitia, quibus aliquid C conficitur, ad integram rei confectæ cognitionem, multũ conducit; hæc autẽ ad efficientem causam suo quoq; mò do pertinent; post efficientes causas primarias, secũdarias adiuuantes etiam instrumentales nõ pręterit. Instrumenta lyricæ poeseos duo sunt sine dubitatione; verba quibusdã numeris cõprehensa, quæ modulata voce pronuntientur; & sonus vel lyræ vel cytharæ vel Barbiti vel etiã tibiæ, ad verba modosq; aptatus; Vt verba sic modulata notaret, dixit, *Concines.* Vt lyræ vel cuiusuis alius instrumenti musici strepitum intelligeremus, dixit, *Maiore plectro.* Plectrum fuit a principio radiolus, quo

altera

altera manu pulsabant cordas Barbiti vel Lyræ. Sed procedente tempore & excultis artibus, nomen plectri sumpsit arculus ille setis equinis tensus, qui resina illitus & fidibus affricatus susque deq; , illas loquaces reddebat. Tandem Demopoeto Sicionio, vel vt alij voluerunt, Epigono Ambraciote auctore, officium plectri ad solam dexteram translatum fuit, quę summis digitis tremulisq;, neruos argutæ testudinis contentos velleret, dum ij sinistra certis in locis vel apprimerentur vel relaxarentur. Sed cur dicit, *maiore plectro?* & quid hic est plectrum maius? Elucidabitur hoc, spero, paulo post. A

Quandoq; trahet feroces, B
Per sacrum cliuum merita decorus
Fronde sicambros.
Quo nihil maius, meliusue terris
Fata donauère, bonīq; diui
Nec dabunt, quamuis redeant in aurū
Tempora priscum.

16 Hoc tandem loco insinuare incipit, quæ sit forma, cùm poeseos in vniuersum, tùm lyricæ priuatim. Et quia formam & quasi animam poeseos in genere non est obscurum esse imitationem; vt quæ sit forma lyrici carminis speciatim exprimat, inducit imitationem atque imaginem triumphi, quam ita suis cunctis & coloribus & lineis & vmbris & eminentijs fingit, vt nil illustrius, nil euidentius spectari posit. C

ij

EFFI-

A

EFFIGIES TRIVMPHI.

SPECIES triumphi, quem Flaccus deſcribit in gratiam Auguſti Cæſaris ob victoriam de Sicambris feliciſſime partam, tres habet partes; prout tres ſunt res omnino, quæ in triumphi lætitia conſiderari poſſunt. Vna eſt, pompa ipſa triumphi dum ducitur; altera, cogitatio eorum, quæ triumphum comitantur: tertia eorum, quę triumphum conſequuntur. Harum ſingulæ, quomodo graphicè depingantur, diligenter precor amice lector obſerua.

In prima parte non ne tamquam oculis cernimus imperatorem ipſum, quaſi Diuum aliquem in terris coronà triumphali redimitum, pompa & ornatu magnificentiſſimo inſtructum in ſuo maieſtatis curru, tota ciuitate ſpectante, cuncto populo acclamante & applaudente in Capitolium vehi? nam dum inquit. *Quo nihil maius meliusùe terris fata donauère, boniq; diui.* Cęſarem ſine dubio tamquam diuum aliquem delapſum de cœlo ſuſpicimus & veneramur. Deus namque ὕπατος καὶ ἄριστος, nonne optimus maximus ille eſt? Non ne Deo proprietates iſtæ potiſsimum tribuuntur, potentia & bonitas? Dum itaq; Cęſare nil maius in terris, nil melius illo eſſe audimus; ipſum planè & maximum & optimum concipimus; Ergo tamquam Deum, tantū nō immortalē ſuſpicimus. Et dum ait, *merita decorus fronde*, Non ne & omnem apparatum triumphalis pompæ magnificentiſsime ſplendidiſsimeq; videmus? Et in illo *merita*, non ne etiam virtutem Auguſti, reſq; fortiter, prudenter modeſtiſsimeq; geſtas ab eo rememoramus? At cum infert, *trahere Sicambros feroces*, non ne indignantes & quaſi reluctantes barbaros, vultu truces, capillis impexos, etſi cathenis vinctos, non dum tamen in animi feritate ac libertate victos, trahi videmus & congaudemus, ac ſi feras captiuas indomitas volentes, nolentes, quaſi per ludibrium exagitari

B

C

27

tari videremus? quod alibi videtur expresſiſſe dicens, A
ductàque per vias Regum Colla minantium. Dum dicit, *per ſacrum cliuum*. Non ne quaſi vias omnes, per quas triumphus incedat, a Vaticano & territorio triumphali vſque in Auentinum & Capitolium ipſum, & tapetis & auleis & pictis tabulis, & totius ciuitatis frequentia ac nobilitate ornàtas & apparatas intuemur? & per illas, non ne molem ipſam triumphi, equis generoſiſsimis connitentibus, armis & vngulis in Capitolium cōtendentibus; incedentem & nutantem ſpectamus? Sed quid ſibi illa
28 volunt. *Fata boniq; diui*. Quid ve inter ſe habent hæc diſcriminis? An reſpondent diuinis illis duabus, quas dicebamus, virtutibus? poteſtati & bonitati ſupremis? quòd
B
Auguſtus rerum potiatur, nec ſit illo quiſquam maior in orbe terrarum à fatis, hoc eſt, à voluntate quidem Dei omnipotentis eſt; ſed mediantibus cauſis & naturalibus & fortuitis, quibus nos pares haud ſumus, euènit. Quod autem idem Cęſar bonitate, clementia, facilitate, ſapientia, iuſtitia, fortitudine, deniq; virtutum omni ſobole amabilis ſit, & veluti Deus admirabilis, hoc non a fatis accidit, ſed benignitate tantum diuorum extitit, neque diuorum quorumcumq;, ſed bonorum tantummodo. At ſunt ne dij multi? & ſunt ne dij alij boni, alij mali? Minime verò; abſit impietas omnis; vnus enim eſt De-
29 us, atque is ſemper bonus: neque enim eſſe decet Deos malos, vt ait diuus Auguſtinus. Neque Antiſtius Làbeo C
Trebatij Teſtę diſcipulus, & totius antiquitatis omniumque artium peritiſsimus, probandus fuit, cum numina bona diſtinxit a numinibus malis. Nam attributa vnius Dei, cùm plura ſint, plures etiam dicti ſunt Dij. Et quia bonitas in homine, comparatur quidem ab ipſo homine, ſpeciali quodam fauore atque auxilio Dei, non quatenus Deus omnipotens eſt, neq; quatenus iuſtus eſt, ſed quatenus bonus eſt, & beneficus & munificus: propterea vt bonitatem in Auguſtum Cęſarem a bonitate Dei, ſine vllo medio deſcendiſſe deſcriberet: ſicuti maieſtatem &

potentiam

A potentiam ab eodem vnico Deo per fatales causas .i. secundas causas influisse significarat, dicit, *Fata donauère boniq; diui*. Ergo ò Antoni Iuli, tu poeta, me longe melior concines *plectro maiore Cæsarem*, quandocumq; ille decorus merita fronde; quo quidem Cæsare nil datū fuit in terris a Dijs immortalibus, neque maius, neq; melius, neq; dabitur posthac, quamuis redeant secula illa prisca saturnia, trahet sicambros feroces per viam sacram, quæ accliuis erat in Capitolium; Propriè autem cliuus Capitolinus incipiebat ad finem velabri, & desinebat in ipso Capitolio, tendentibus, ac proinde Cliuus Capitolinus dicebatur. Offenderunt viri eruditissimi hypercritici in voce *quandoq;*, quæ accipiatur pro quandocumq;. Sed

B videant quæso ne offendant ipsi aliquanto magis purgatas aures suis recusis carminibus. Sed cur nō refinxerunt quoq; illud, *quandoq; bonus dormitat Homerus*, vel etiam illud, *Et quandoq; potentior largis muneribus riserit æmulus*, vtrobiq; .n. eodem pacto accipitur: vel quid miri aut mali est, in *quandòq;* redùndare *Que*, vt idem valeat omnino *quandòq;*, ac si dixisset, quando? Aliquanto cautius offendere possunt aliqui in hoc; quòd apud Ciceronem legamus; cū de foro in Capitolium currū flectere triumphātes inciperent: iubere captiuos Reges duci in carcerē. Vt populus Rom. pulcherrimū spectaculū, fructūq; victorię percipere posset. Nā quos sępe metueris, eosdē vi-

C ctos ad suppliciū duci videre, dulcissimū est: hîc tamē cōtra Flaccus dicat, etiā per capitolinū cliuū, in triūpho ducēdos esse captiuos Sicābrorū duces. Sed respōsio in prōptu est, stante ac florente rep. Rom. idē quoq; dies & victoribus imperij (vt idē Cic. testatur) & victis vitæ finem facere solitus erat. Verū collapsa Quiritū libertate: legibusq; populi Rom. cōturbatis: & si triūphassent, imperij tamē perennis fasces, & secures nō deponebāt Imperatores, Itaq; vel securi percutere, vel retinere subactos Reges in custodia, vel donare libertate, vel restituere etiā in antiqua regna pro suo arbitrio, ac libidine facile poterāt.

A

Concines lætosq; dies & vrbis
Publicum ludum super impetrato
Fortis Augusti reditu, forumq;
Litibus orbum.
Tum meæ siquid loquar audiendum
Vocis accedet bona pars; & ò Sol
Pulcher, ò laudande, canam recepto
Cæsare fœlix
Tuq; dum procedis Io triumphe
Non semel dicemus Io triumphe
Ciuitas omnis,

B

In secunda huius effigiei parte exponit poeta ea, quę triumphũ comitantur. Et quia rerũ omniũ natura constătiũ indiuidui comites sũt & tẽpus & locus; rerũ quoq; quæ cõparantur humano studio, nulli possunt assecle reperiri coniũctiores, quã & tẽpus & locus; cuncta .n. quę intra cœli ambitũ continẽtur, loco & tẽpore aliquo clauduntur. Non iniuria itaq; Flaccus, vt comitantia triumphum effingeret, ad tempus & ad locum confugit; tempus notat per *lætos dies*, locum insinuat per *vrbis publicum ludum*. Vt hinc intelligamus cõmunem lætitiam, publicamq; iucunditatem, in festiuitatibus chorearum, ludorum, spectaculorum, conuiuiorum, lectisterniorum, quæ celebrabãtur, tum ob serenitatem iucundissimi diei, tum ob lętitiam exultantis ciuitatis. Et quoniam lætitia publica ciuitatis, duabus in rebus cerni poterat; nempe vel rebus iucundis factitandis, vel ingratis ac molestis intermittendis; ob res iucundas agendas, dixit, *publicum ludum*; ob res

C

85

A ob res ingratas omittendas, addidit, *forumq; litibus orbum;* non quòd, vt Dionysius Lambinus voluit in hac parte, propter summam iustitiam Cęsaris, pauciores esse litigatores intelligat; id, quod nimis coactum fuisset, & ad pręsentem lætitiam ciuitatis, quam illustrare volebat, omnino inutile; sed *forum litibus orbum* intelligendum erat de ferijs imperatiuis ob iustitium indictum in causis agendis; neque enim in luctu tantum aut tumultu reip. sed multò magis in publica lætitia iuris dicendi fieri intermißionem decebat.

Tum meæ siquid loquar audiendum. Par istud rerum concomitantium, quas poeta expreßit in publica lætitia decantandas plectro Iuliano, accomodat ad se ipsum. Et B primò, quò ad tempus, quod primo etiam loco exposuerat; in cõmuni gaudio dicit se dicturum & decantaturũ, *O sol pulcher, o laudande,* quod respondet illi, *lætosq; dies,* Sol enim is est, qui diem parit; & si dies sit serenus & commodus, lætus etiã nobis efficitur. *Tum meæ siquid,* Tunc, quando triumphus ducetur, bona pars meæ vocis accèdet .i. addetur & carminibus tuis, & vocibus popularibus, totiusq; ciuitatis acclamationibus. *Siquid loquar audiendum.* Nihil dum muto; mutabimus autem paulo post; modò, inquit, aliquid canere ego poßim, quod dignum sit auribus Cęsaris, & tuis: & tunc fœlix ego ac lætus ob Cęsarem receptum; quod supra dixerat in gau-C dio ciuitatis; *super impetrato fortis Augusti reditu,* canam, *O sol pulcher, ò laudande.* Nam *ò sol* referre ad Cæsarem ipsum, qui Apollinis nomine, atque opinione delectaretur, vt quidam dicunt, importunũ est & violenter extortum: Et *fœlix* ad solem aptare, qui alios reddat fœlices, nullo modo videtur hoc loco vel esse necessarium vel congruens.

Tuq; dum procedis Io triumphe; Neque hoc etiam in loco, quicquam dum muto: dicemus verò quicquid sit innouandum postea; sed per apostrophem triumphum ipsum alloquitur, & in allocutione respondet ad alteram

illam partem rerum consociantium, quę locum respiciebat, & quod supra de publica lętitia dixit, *publicum ludum vrbis*, ad se priuatim ludum hunc adaptans dicit modo, *Ciuitas omnis* .i. Ego cum vniuersa ciuitate, & per omnes totius ciuitatis gradus ordinesq; discurrens, dum triumphus procedente pompa ducetur, *Non semel* .i. iterata voce clamabimus, *Io triumphe;* quæ vox erat militum, aliorumque de populo applaudentium, acclamantiumq;, & aliquando loedoriam iacentium imperatori, victori, triumphatori, ἰὴ παιάν solebant in pęanibus poetæ sępe accinere, quod vocabant Epiphtegma & ἐπῳδὴν. In triumphis acclamabat populus. Io triumphe. Triumphũ esse deductum de agnominatione illa Bacchi, de qua superius multa dicebamus Dithyrambi, non potest esse alicui dubium, ex testimonio Varronis, & græca etymologia. Nam (vt Plinius ait) liber pater primus triumphum inuenit.

" *Dabimusq; diuis*
" *Thura benignis.*
" *Te decem tauri totidemq; vaccæ*
" *Me tener soluet vitulus relicta*
" *Matre, qui largis iuuenescit herbis*
" *In mea vota.*

HAEC tertia pars est imaginis triũphalis; in qua pinguntur ea, quæ triumphũ consequuntur. Postquã imperator curru triumphali vectus a porta triumphali, per viam sacram ad Iouem capitulinum ascendisset; maiores hostias pro agẽdis summo Deo gratijs sacrificabat. Tunc per totam vrbem magnificentissime ab amicis & familiaribus imperatoris rem sacram fieri, victimas mactari multas, vota persolui solennia, sacrificia peragi splendida atque sumptuosissima, per cuncta delubra Deorum verisimile

A mile est: immo boues albas mactare imperatores triumphantes,& inter sacrificãdum, orationem huiusmodi ad Deum habere memoriç preditũ est. Gratias tibi Iuppiter Opt. Max. tibiq; Iuno Regina, & ceteri huius custodes habitatoresq; arcis, Dij, libens lætusq; ago, re Romana in hunc diem & horam per manus,quod voluistis, meas seruata bene gestaque. Eandem seruate, vt facitis, fouete protegite propitiati, supplex oro. Quod modo exponit poeta dicens, *dabimusq; diuis thura benignis*. Nulla .n. ferè sacrificia apud veteres Romanos sine thure peragebantur; quamuis, Arnobio teste,neq; heroicis temporibus in græcia, neq; regnantibus adhuc Romulo, & Numa in Latio,quid nam thus foret,sciretur; tantam tamen adeoque arctam cognationem thura cum sacrificijs habere nouimus; vt quemadmodum latina vox thuris descendit a græco θύειν, quod est sacrificare, potiusquam à tunsione; ita græca vox libani, (nam græci thuris plantam λίβανον dicunt, vt gummi destillans de planta, quod adolemus, vocant λιβανωτὸν) libandi, ni fallor, vocabulum peperit, quod sacrificio accomodatur; vti legimus apud Maronem, Ignibus impositis sacris libamina prima; Nam deduci libationem ἀπὸ τοῦ λείβειν, quod est stillare, probare multum non possum; cum contra potius ὁ λίβανος sic dicatur, quòd stillet, guttatimq; roret quod nos diligenter colligamus ad libamenta, & ad sacrificia. Ad Liberum namque patrem reijcere vocem libaminis, quod Ouid. probat, nulla congrua ratione nititur. Ergo tanta est affinitas thuris cum libamine, & sacrificio; vt mirum non sit, si quasi lex, vel saltem cæremonia naturalis apud nos Christianos quoq; obseruetur. Immo mirum maxime sit, si quos Christi Saluatoris nostri profitentes nomen sacratissimum, de templis, deq; sacris vsum thuris abegisse videamus: Vtinam vtinam sic vitam instituamus nostram, sicut suffitus thuris in quotidiano cultu Dei, nobis instituendam esse commonstrat.

Carnalis concupiſcentia in nobis concremanda & mor-tificanda nimirum eſt; vt oratio noſtra, ſicut incenſum in cœlum feratur. Sic erimus vbiq; bonus odor Dei, ſic thymiama noſtrum mortificata carne, ſpiritum in cœlos aſpirare condocefaciet. **A**

Te decem tauri. Tu quidem vt opulentus, ἑκατόμβην victimam perſolues, viginti boum mactabis hoſtiam pro votis ſuſceptis, proq; gratijs ſummo Deo agendis de Cęſariana victoria & ſoſpiti reditu: ego, cuius facultates longe tenuiores ſunt, tenellum vitulum in ſacrificium dabo.

Me tener ſoluet vitulus. Aggreditur nunc pulcherrimam deſcriptionem victimæ; & primò quidem oſtendit, quid votum ſit. Nam ſi votum obligatio quædam eſt aduerſus Deum, qua nos illi, ſponſione facta, alicuius rei præſtandæ obſtringimus: perſoluto voto nos ipſos ab illa obſtrictione & obligatione ſoluimus & liberamus; & iccirco dicit. *Me tener ſoluet.* Ethici naturæ lumine tantum adiuti nuncupationem votorum laudarunt & obſeruarunt; qui ſe chriſtianos iactant naturalē ſplendorem obcœcantes, obligationes votiuas irrident. Sed cur irrident? Libertate, inquiunt, qua nullum maius homini bonum datum fuit, ſe ipſum priuare ſua ſponte, nefarium eſt. Verum inſipida ſapientia reddidit illos infatuatos; quid? obfirmatio voluntatis in bonum, num priuare nos libertate iure dicatur? immo num potius obfirmatio eiuſmodi, efficit nos beatis ſpiritibus propèmodum equales? qui quód peccare amplius nequeant, non carère dulci libertate propterea cenſendi ſunt: fœlicem neceſsitatem vocabat vir Dei, quæ nos ad meliora compellit. Deinde, qualis ſit hæc victima, ante oculos noſtros ponit; Nam & vitulum & tenerum vocat, & dudum à lacte depulſum notat, & ſpacioſis in pratis iuueneſcere declarat. Sed quid eſt, ſodes, iuueneſcere hoc loco? Equidem putarem, aliorum eſto iudicium, eò ætatis tèndere, vt iam iam de vitulo tranſeat in iuuencum; Nam **B** **C**

32

vt

A vt vitulus (ni fallor) dicitur à vita, potiusquam à vitulando; cum contra potius vitulari, quod est ludere & lętari, deductum videri possit a vitulo: sic iuuencus dicitur à iuuentute; ita vt iuuenescere omnino sit hoc loco ad gradum iuuenci maturare: quasi significet vitulum à se destinatum ad sacra Cęsaris, paulò postea iuuencũ futurum. Esse autem quatuor gradus ætatis in genere bubulo; & primum quidem vituli, secundum iuuenci, tertium bouis nouelli, quartũ vetuli, apud doctores rerum georgicarum, vulgatissimum est. Qui autem exponunt iuuenescere pro lasciuire, non animaduerterunt poetam nostrum verba sterilia nulla solère vnquam apponere. Qui autem interpretati sunt, adolescere, verbi significatum tenent, sententiæ vim non apprehendunt.

B Sed cur se vitulo, Iulium tauris, litaturum promittit? An præter id, quod supra dicebamus de opulentia vnius & tenuitate alterius, taurus dabatur Epicis poetis, iuuenca Lyricis? Epicos autem versus meditari Antonium, declarant illa, *maiore plectro;* præterquam quod Acron interpres antiquus diserte dicit Ant. Iulium heroico versu duodecim libris Diomedeam scripsisse: se autem poetam melicum nulla re facere pro incolumitate ac victoria Cęsaris posse aptius affirmat Flaccus, quàm vitulo nõdum penitus iuuenco, quem lyricis carminibus esset promeritus.

C

Fronte curuatos imitatus ignes
Tertium lunæ referentis ortum,
Qua notam duxit niueus videri
Cetera fuluus.

CVM per imitationem Sicambrici triumphi, poetæ consilium esset, poeseos lyricæ propriam & natiuam formam substantiamq; demonstrare, egregia quadam imitatione

tatione particulari concludere cantionem suam decreuit. Imitatio autem ista tam expressa est tam exculta, tã polita atq; limata, vt in vllo alio poeta græco vel latino, parem μίμησιν reperiri posse non facile credam. Et meritò sanè calamistra omnia poetica adornari hoc in loco calefieriq; decebat. Nam in imagine & tamquam prototypo imitationis pingendo, perfectißima, elegantißima, numerisq; omnibus absolutißima imitatio pingenda & illustranda fuit. Vereor tamen, ne vir impense doctus, & qui summa cum fœlicitate græcos oratione latina, & latinos sententijs græcis locupletauit Dionysius Lambinus, Christophorum Landinum nostrum sequutus, elegantißimæ huius & ornatißimæ picturæ cincinnos conturbarit. Quid erat opus petere cornibus candentem lunulam? Quod autem dico, est huiusmodi.

Descripserat iam Flaccus aperte ætatem vituli ad sacrificium destinati. Nunc subijcere oculis studet eiusdẽ buculi speciem vniuersam. Et dicit esse ruffum siue fuluum, qui color in bubulo genere cum primis laudatur, per omnes totius corporis partes, præterquam in fronte; vbi nota quædam impressa fuit candidi coloris, quæ nota nascentis Lunæ triduanæ figuram præleferat. Quid hac imagine speciosius? quomodo speciosa imago potuit exprimi præclarius? Meus inquit vitulus *imitatur fronte curuatos igneis* .i. similis est fronte sua cornibus ignescentibus & splendescentibus, & propriè candentibus lunæ, quæ tertio post ortum die compareat. Imitatur, inquit, fronte vitulus meus lunæ cornua; non tamen id facit vniuersa fronte; sed ea tantum parte frontis, *qua notam duxit niueus videri*, in parte .s. qua candentem maculam contraxit (sine distinctione enim hæc lego) vt intelligatur spiritu vno, notam contraxisse huiusmodi, vt videatur ibi niueus candidusq;. Forma autem dicendi græca est; vti quæ statim sequitur, *cetera fuluus*, idest in reliquo autem vniuerso corpore fuluus est omnino.

Qui referunt imaginem istam ad cornua vitulina;

cum

cum ineptum faciunt, poetam elegantiſsimum, qui vitulum deſcriberet à re cõmuniſsima & naturaliſsima; (quid enim amplius hic vitulus habuiſſet? Num habere cornua in cornuto genere rarum eſt & inſigne? Num cornua fortaſſe, cornua & curuata non ſunt? Eſſet ne hoc deſcribere graphicè, an boare ſtolide?) Tum ſe ipſos nõ ſat aptos produnt in eo; quod illa ex cornibus deſcriptio non poſſet eſſe niſi declaratio ætatis: At ætatis deſcriptio iam tradita fuerat, cum vitulum vocaret tenerum, & a matre depulſum, & iuueneſcere etiam adiunxit. Præterea, ſi buculus iſte depulſus modò à mammis fuit; ſi iuueneſcit dumtaxat, neq; dum iuuencus omnino dici poteſt; vnde nam quęſo cornuum tantum? Ecquis in ea ætate turgentia modo cornicula vidit eò vſque curuari? Adde, ſi lunam imitantur vera cornua, nõ macula; Quis non vitium agnoſcat poetæ deſcribentis vitulum ex nota niuea, & qua nam in parte ſit illa nota prætereuntis? vel ſi fortaſſe, notam fuiſſe in fronte contendas, certè cuius formæ eſſet illa nota, notata non eſt. Ad hæc, inducente Flacco curuatos igneis; quis non videat, argenteum illũ ſplendorem candoremq;, dum reparat noua cornua phębe, in cornibus vitulinis minus conuenire; in candida verò macula lunæ candorem imitante, aptiſsime quadrare? Demum, cum icon iſta vituli tota per imitationem alterius generis deſcripta ſit ab equo Homerico, *ἀριπρεπεῖ χοι πρόχοντι*; in qua Horatius normam nobis imitandi quoq; aliorum imitationes præmonſtrauit; ne videlicet, verbum verbo curemus reddere interpretis nimium fidi; quis neget ſententiam huius loci eſſe eam, quam nos interpræta ti ſumus? Homerus in generoſi & pręſtantis equi fronte, lunæ formam eſſe voluit, *πανσελήνυ*, cum cõeunt tota cornua, efficiuntq; orbem, vt ille inquit; Flaccus in fronte vituli, ſpeciem lunæ finxit *μηνοειδέος καὶ ἀρτιπήκυ* Homeri carmina hæc ſunt, quæ ſine controuerſia imitatus eſt Horatius hoc loco, vt imitandi modum præſcriberet ac doceret.

" Φράσσατο δ' ἵππον ἀριπρεπέα προὔχοντα
" Ὃς τὸ μὲν ἄλλο τόσον φοῖνιξ ἦν ἐν δὲ μετώπῳ
" Λευκὸν σῆμ' ἐτέτυκτο περίτροχον ἠΰτε μήνη.

A.

HIC demum, vt nostram lucubrationem concludamus, nonnulla diligenter obseruabimus. Primum, cum poetæ studium hac ode fuerit lectorem instituere in poetico munere fungendo rectè; munus autem poeticum vniuersum versetur in imitatione; imitationis rem ex imagine triumphi nobis expresit, imitationis nomen tacitum præteriri etiam noluit. Itaq; diserte dixit, *Imitatur igneis*.

Secundum est; cum imitatio poetica duplex sit; vna, totius, altera partium & quasi membrorum: adumbrato triumpho per imitationem, vt totius, etiam vituli subiungere imitationem curauit, vt membri.

B.

Tertium; cum aliud quoddam genus reperiatur imitationis longè à superiori diuersum, & hoc etiam vtantur poetæ & omnes artifices; voluisse Horatiū, fugere quemquam, permultū interesse inter hoc genus imitationis & illud. Alia est .n. imitatio rerū & naturę; alia est imitatio magistri atque artis. In priore decet omnino poetas esse diligentes, in posteriore tantum conuenit esse diligentes: hoc est, imitari debere poetas res, quas effingunt expressissime; & quò magis imitantur, magis laudantur: magistros autem & artifices priores imitādos esse cum delectu ac iudicio, atq; omnino parcè; vt hoc in loco fecit ipse met. Itaq; faciendi nobis præbuit exemplum: Nam equum mutauit in vitulum, lunæ rotundæ maculam & orbiculatæ variauit in corniculatā; retinuit tamen summo pudore ac nitore nonnulla, in quibus imitatio artificiosa cognoscatur, nam illud τὸ μὲν ἄλλο φοῖνιξ penè ad verbum reddidit *cetera fuluus*.

C.

Quartum; præterire me etiam, quæ minutiora fortasse fuerint, nullo modo voluisse; cum nil sit tam exiguum in poeta maximo, quod hoc, vel illo modo scriptum, sit magnum

A magnum nō euadat. Itaq; mei ambo ſcripti codices manu, quos habeo non contemnendos, vbi legimus in vulgatis, *Tum meæ ſiquid loquar audiendum*, communi ſenſu habent, *Siquid loquor:* quod certè mihi multo videtur aptius; cum intelligat ſe Cęſarianas laudes decantaturū, ſi mòdò aliquid in canendo poſsit; Nam dicere ſe cantaturum, ſi modo ſit cantaturus, neque elegantem vllam ſententiam habet, neq; veram. Præterea ijdem codices eàdem conſenſione legunt, *Teq; dum procedis Io triumphe*, non *tuq;*. Quæ lectio dici non poteſt, quantum mihi magis arrideat; vt *te* referatur ad illud *dicèmus* .i. acclamabimus, vti ſupra: *pugilèmue equùmuè dicit* .i. àccinit; Et alibi, Me dicente cauis impoſitā ilicem ſaxis; ita vt primum *Io triumphe* ſit vocatiuum, poſterius ſit acclamatiuum & applauſiuum.

B

Qintum; miro artificio noſtrum Horatium iunxiſſe huius odes extremum cum principio; nam cum ſumma laus ac virtus poematis ſit, vt docet Ariſtoteles, eſſe quā maxime vnum; tunc re vera vnum eſſe poema conſpicitur; quando rotunditate quadam totius ſententiæ initium conſentit cum fine. Initium fuit a Pindaro, quem imitari debemus, vt Idèam lyricæ poeſeos. Finis eſt, vt exemplo cognoſcamus, quo pacto Pindarum, vel alios poetas ſub nomine Pindari deſignatos, imitari conueniat; quaſi præcipiat ac dicat. Imitare; ſed parcè & pudenter, vti me feciſſe vides, ne fortè audias, non ſine riſu. O imitatores, ſeruum pecus.

36

C

Imitatione itaq; vtraq; demoſtrata, tamq̃ forma eſſentiali, & tamquam typo exemplari poeſeos; inſtrumentis ſubminiſtratis, architectis & fabris accitis, rebus conducentibus non neglectis, materia comparata, fine totius artis adumbrato; quis neget, artificio ſingulari, doctrina incredibili, ordine admirabili, elegantia & venuſtate peramabili Horatium Flaccum propriam artem faciendorum carminum carminibus diuina potius quam humana mente & calamo confectis docuiſſe & illuſtraſſe?

Qui hæc vel non agnoſcunt ingenuè, vel confiсta eſſe non detecta inſimulent liuidè, hi ad muſarum limina legant, ODI PROFANVM VVLGVS, ET ARCEO. A

COMPENDIVM ODES EXPOSITAE.

IN qua docetur ars lyrica per cauſarum omnium illius explicationem. *Pindarum*. Habes hic exemplarem cauſam. *Aemulari*, dicit; vt intelligamus, imitandum eſſe, non æmulandum. Et cur ſit imitandus, copia maxima (velut aquarum in torrente) facit; rerum quidem, dum *feruêre*; verborum autem, dum ponit, *ruere*. B

Seu per audaces, Cauſa materialis exponitur; cuius vna pars eſt in dithyrambis, qui res tractant inſolentiores: propterea vocat illos *audaces*; verbis vtuntur inſuetis, vnde dicit, *noua verba deuoluit*, Rythmos adhibent licentiores. Hinc infert; *numeris fertur lege ſolutis*.

Seu Deos. Altera pars materiei lyricæ verſatur in hymnis & laudibus Deorum Heroumq;.

Tertium verò genus materiei, qualis eſt hæc Odes ipſa, vertitur In Epinicijs.

Quartum in amatorijs; quod genus cum latiſsime pateat, explicatur per formam nobiliſsimâ honeſtiſsimamque. Hæc ſunt amati capitis defuncti ſuſpiria & deſideria cum celebratione virtutum eius; virtutes iuueniles in corpore, ſunt *Vires*; In parte animæ iraſcibili, *Animus:* In parte concupiſcibili, *Mores aurei*. C

Hic dum interſerit *munera donare* poetas *pretioſiora ſignis*, *educere ad aſtra*, *Inuidère Orco*, Quis vere ſit lyricorum poetarum finis declarat.

Multa Dircæum. Efficientes cauſas, quæ ſunt ingeniũ, ars, exercitatio, mirificè exponit in Pindaro velut Cycno; confert illas ſecum, vt ape; reperit in ſe citra allegoriam, *Et nemus tyburtinum* memorans & Aniènis *ripas:* cauſas adiu-

A adiuuantes, sine quibus non extaret opus, subiungit. *Concines poëta maiore plectro*. Hic apparent instrumenta liquido.

Quandoque trahet. Formalis causa explicatur per formam; hoc est imitatio poetica lyræ apta, quæ fit per imitationem & effigiem triumphi manifestat. *Decorus fronde*, Ipsum imperatorem; *merita & quo nihil maius meliusue*. Qualitatem, maiestatem, & penè Deitatem imperatoris ante oculos nostros ponunt; *& feroces Sicambros trahet*, Deuictos populos, & eorum truculentam naturam, Romanorumq; victrices manus exprimit. *Per sacrum Cliuum*, omnem triumphalis pompæ apparatum adumbrat.

Concines lætosque dies, Circunstantia temporis. *Vrbis*, B Circunstantia loci patefit; In rebus quidem iucundis adhibitis; dum dicit, *publicum ludum*, in ingratis amotis, dum dicit, *Forumque litibus orbum*.

Tum meæ. Easdem circunstantias repetit in se ipso, & de tempore dicit, *O Sol pulcher*. De loco dicit, *Ciuitas omnis*. Quæ vniuersa applaudens voce, & manibus cantat, *Io triumphe*. Et huc vsque sunt, quæ triumphum concomitantur. Quæ consequuntur sunt, *Dabimusq; diuis & reliqua*.

Vitulus relicta matre, Imitatio particularis hæc est, quę doceat & imitationem rerum, in qua fundatur natura poeseos; & imitationem artificis, quæ ingenium poetæ C excitat & ducit.

Fronte curuatos. Tam expressa, tam affabre picta est hæc imago, vt poeta bonus, nihilominus cognoscatur posse perspicuè verbis, verborumq; coloribus, quam pictor lineis, linearumq; vmbris & eminentijs, quicquid velit repręsentare.

INDEX RERVM MAGIS INSIGNIVM, QVAE IN HOC PARVO VOLVMINE CONTINENTVR.

F I N I S.

Nomina Auctorum in hoc opere citatorum.

FLORENTIAE,

Ex Officina Iunctarum. 1579.

Cum Licentia, & Priuilegio.